

8



O



nem $\equiv 4$, erit electricitas corporis A $\equiv 8 + 4 \equiv 12$, electricitas corporis B $\equiv 8 - 4 \equiv 4$; adeoque relativa eorum electricitas $\equiv 8$ aequalis differentiae seu excessui. Pariter si utrumque sit positive electricum ita ut A $\equiv 12$, B $\equiv 9$ erit $12 - 9 \equiv 3$ relativa eorundem electricitas.

V. Omnia electricitatis phaenomena descendunt e fluxu materiae electricae ex uno in aliud corpus.

Materia electrica est summe elastica; eo igitur tendit, ubi resistentia minor, adeoque ex corpore in quo major illius copia, erumpet in aliud in quo illius defectus aut certe copia minor existit, nec ante se produunt phaenomena, quam materia ex uno corpore in aliud transeat.

VI. Materia electrica a particulis corporis, in quo est, fortiter attrahitur, ipsae autem particulae electricae sese repellunt.

Quodsi a partibus corporis, in quo existit, non attraheretur, in nullo corpore posset certa quadam quantitate latere: si se invicem non repelleret, non foret ratio, cur ex uno in aliud corpus non transeat si torrentes aequales sint. Inde etiam phaenomena attractionis & repulsionis explicatum habent. Et quidem attractionem quod attinet, si 2 corpora aequae saturata non sint fluido electrico ad eamque vicinitatem pervenerint, in qua atmosphaera electrica agere possit, mox e corpore per excessum electrico fuerit torrens in alterum aut potius attrahetur ab altero; & quoniam actiones mutuae sunt, hoc pariter attrahetur ab illo; quo fiet, ut illud, quod levius est, accedat ad id cuius massa major; aut si corpora aequalia sint, illud quod libere pendet, accedet ad alterum immobile.

§. 7.

Lagena Leyden-
denfis.

Nomine Lagenaey Leydenfis (cujus electricitas multum illustrat materiam de fulmine) intelligitur quod-

vis